„litis vel causae, aut in *medicamenti* virtutem. Quare damnatae sunt pro-
„positiones 1. 2. et 4. ab Innoc. XI. et 26. ab Alexand. VII.

„Dices: Non potest in praxi dignosci, quae opinio sit *tenuiter*, quae „graviter seu *Theologice probabilis;* an unus, et quis *Auctor* possit facere „suam opinionem vere ac Theologice probabilem. R. N. A. 1. Per *tenuiter* „*probabilem* intelligit *Viva* absolute tantum, non vero comparative pro-„babilem: *Cardenas* dubie probabilem; *Lumbier* probabiliter et non certo „probabilem: *alii* tam parum probabilem, ut ab opposita probabiliore ma-„nifeste et incomparabiliter superetur: *alii*, quae nititur fundamento tam „levi, ut virum prudentem movere ad assensum non valeat. 2. Per *Theo-„logice probabilem* intelligunt illam, quae *tribus dotibus* praedita est: ut „reipsa habeat fundamentum grave: ut non habeat contra et certo legem „certam, vel auctoritatem Ecclesiae, cui sine censura refragari nequeat: „ut possit convenienter solvere praecipua fundamenta adversariorum. 3. „Ut vero *unus Auctor possit facere sententiam Theologice probabilem*, exigit „*P. Viva* 5 *conditiones*: ut vir *doctus* habeatur, hoc est, peritus juris na-„turalis et positivi, non amore novitatis duci se patiens: ut *probus* etiam, „qui non ex sinistra passione ad scribendum accingi videatur, sed amore „veritatis: ut examinet materiam *ex professo*, et non ex alio describat: „ut non habeat contra se *auctoritatem irrefragabilem:* ut convenienter „suam opinionem *probet*, adversariis respondeat, et pertracturus credatur „etiam alios in suam sententiam."

CAPUT IV. *De Conscientia Scrupulosa.*

§. I. *De Natura et Origine Scrupulorum.*

124. *Q.* I. Quid sit Scrupulus? R. Est apprehensio inani ratione nixa, et hinc ortus timor, peccatum alicubi, esse ubi non est. *Laym.* de Consc. c. 6. n. 1.

Dicitur *apprehensio:* quia primario consistit in actu intellectus; quia tamen in voluntate causat anxietatem et metum, simul adjunctum habet actum voluntatis. Scrupulus juxta *Sporer* T. proem. n. 101. tripliciter fit. 1. Proprie, quando habetur quidem sufficiens judicium, aliquid non esse peccatum, ex levi tamen motivo timetur, ne sit peccatum. 2. Improprie, quando ex levi ratione et timore aliquid judicatur esse illicitum, quod tamen est licitum: hoc potius dicitur judicium erroneum, ut *S. Ignatius* in fine L. Exercit. de scrupul. bene advertit. 3. Quando quis ex inani motivo suspicatur, hoc vel illud forte esse peccatum, quin tamen actualiter et determinate ita judicet, hoc potius est dubium practicum.

125. *Q.* II. Quaenam sint causae scrupulorum? R. cum *Bardi* discept. 7. c. 3. I. Causae intrinsecae ex parte animae sunt: 1. *Ignorantia*, quando quis ex defectu scientiae haeret, et non scit distinguere inter tentationem et consensum, aut quomodo sit resistendum tentationibus. 2. *Occulta superbia, et tenacitas proprii judicii.* De tali *Cassianus* ait: Is, *qui proprio judicio et voluntati confidit, non eget daemone, qui eum tentet; cum ipse sibi daemon sit.* 3. Nimia divinae justitiae apprehensio, et modica fiducia in divina misericordia. 4. Nimia sollicitudo, id omne, quod vel apparet esse malum, fugiendi, habendi plenam certitudinem, quod hoc vel illud agendo non peccet: et hoc est, teste *Arist.* indisciplinati ingenii. Unde contingit, ut quidquid talis agere velit, continuo phantasia occlamet: *Cave: adest peccatum.* Huic causae *Suarez* conjungit servilem timorem. Denique nimia austeritas vitae, et morosa fuga omnis conversationis humanae occasionem praebet infinitis scrupulis.

II. Causae extrinsecae ex parte animae sunt: 1. Permissio Dei vel ad infringendam superbiam, vel ad probandam virtutem, vel in vindictam peccatorum. 2. Daemon, qui scrupulis exagitat hominem, ut taedium creet virtutis, et tandem ad desperationem hominem adducat. 3. Frequens conversatio cum scrupulosis. 4. Lectio librorum de casibus conscientiae, non ex officio, sed ex curiositate, praesertim si quis non sciat judicio practico discernere moralem doctrinam.

III. Ex parte corporis causae sunt: 1. Complexio frigida aut melancholica: haec enim nutrix est suspicionum, et infinitarum ineptarum apprehensionum. 2. Debilitas capitis etc. etc.

126. *Q.* III. Ex quibus signis cognosci possit vere scrupulosus? R. Cum *Stoz* de Consc. scrup. n. 176. 1. Ex pertinacia judicii, qua scrupulosus consiliis Confessarii vel alterius viri docti non vult acquiescere; varios consulit et fatigat, et tamen nullius judicium sequitur praeter suum. 2. Ex frequenti mutatione judicii ob leves rationes, unde oritur inconstantia et perturbatio in agendo 3. Ex reflexionibus impertinentibus innumerarum circumstantiarum. 4. Ex eo quod quis timeat in omnibus peccatum, etiam in iis actionibus, quas alii reputant esse honestas. 5. Animus scrupulis perturbatus proditur signis, gestibus ac motibus ridiculis; solent enim scrupulosi subito contrahere oculos et supercilia, caperare frontem, capite annuere et abnuere, mussitare secum: *Nolo, nolo: recede diabole* etc. etc. 6. Ex perpetuo timore, an rite fuerit confessus, etiamsi saepius idem peccatum eidem Confessario aperuerit.

§. II. *Principia practica pro scrupulosis et eorum Confessariis.*

127. Princip. Generale. *Licitum est, imo quandoque obligatorium contra scrupulos stricte tales operari, etsi perseverent.* Ita *Suarez* ad 1. 2. disp. 12. Sect. ult., *S. Antonin.*, *Stoz* L. 1. p. 5. q. 3. n. 181., *Sanch.*, *Palao*, *Regin.*, *Bonac.* et alii. *Ratio primi est*: quia scrupulus non est judicium determinatum, sed inanis apprehensio; ergo stare potest cum judicio practico de honestate actionis, quod hoc ipso fit, quando quis inanem apprehensionem contemnit ceu scrupulum, et contrarium agit. *Ratio secundi* est: quia, qui fovet scrupulos, nec eos contemnit, gravissimis malis corporis et animae se exponit: facile ab apprehensionibus ad judicia deducitur, ab his ad peccatum. Hinc *Suarez* l. c. monet cavendum esse, ne scrupulus vincat hominem ad formandum dictamen absolutum, hoc quod agit esse illicitum.

128. Atque hoc sit *primum* remedium contra scrupulos, scil. illos velut alias tentationes fortiter contemnere. Hinc scrupulosus secum non disputet, ne forte multum inquirendo diutius foveat inanem apprehensionem, et magis implicetur. *Secundum.* Judicio Confessarii *Unius* se totum instar tyronis regendum committat, neque in singulis actionibus ad eum recurrat; sed, quod in uno casu respondit, ad similes casus applicet absque nova interrogatione; ejusque principiis generalibus plene acquiescat. *S. Antoninus* §. 10. reg. 5. *Tertium.* Bonorum agendi rationem tanquam regulam intueatur et sequatur, non vero scrupulosorum, *S. Antonin.* reg. 7. doct. 4.; cogitet etiam, quid ipse in his vel aliis circumstantiis anxio homini prudenter vellet consulere. *Quartum.* Discat in bonitate et simplicitate cordis de Domino sentire, qui non vult mortem peccatoris, nec imponit praecepta redigentia ad insaniam. *Quintum.* Fugiat otium, hoc enim implet phantasiam perpetuis scrupulis. *Sextum.* Saepius humillime recurrat ad Deum, petendo pacem et tranquillitatem.

Principia pro Confessariis Scrupulosorum.

129. I. Primario studeat agnoscere, an poenitens sit vere scrupulosus: quae origo scrupulorum: an sit scrupulosus in omnibus, an in uno tantum vel altero puncto. Haec nisi cognoverit, directio erit plena periculis.

II. Patientia forti muniat animum suum, alias nihil proficiet. Hinc *Cajetanus* ait: *Vae, vae Confessario habenti verum scrupulosum!* Gravitas tamen nunquam desit, vi cujus resolute sine haesitatione respondeat, nec facile responsionis suae rationem det. Huc pertinet illud 2. Tim. c. 4. v. 2. *Insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Si superbia latens origo scrupulorum sit, maxime arguendi sunt, quod non sint contenti consiliis Confessarii, sed revelationem a Deo quasi exspectent, quod haec vel illa actio sit honesta. Si pusillanimitas causa sit, erigantur spe divinae misericordiae, ostendatur sinistrum de Deo judicium, quem tales velut tyrannum sibi proponunt etc.

III. Dubia in benigniorem partem interpretetur, innixus principiis, quae tradit *Suarez* loc. cit., *Bonac.*, *Stoz* et alii pro scrupulosis certissima: 1. Eum, qui bona fide procedit animo placendi Deo, si mediocrem diligentiam adhibeat, practice non errare. 2. In rebus moralibus non ubique quaerendam certitudinem, et scrupulosum, ubi non suppetit consilium, post mediocrem diligentiam adhibitam, tuto posse agere contra scrupulum. 3. Dubium, quod in aliis esset rationabile, in scrupuloso esse contemnendum.

IV. Denique clientem saepius in orationibus suis Deo commendet. Plura suggeret prudentia pro variis circumstantiis, et tractatus de scrupulis desumptus ex opere variorum Moralium *R. P. Possii* Barnabitae.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

CASUS I.

Antonetta scrupulosa virgo, quoties confitetur, angitur de confessionibus praeteritis, hinc semper totum folium plenum peccatis in juventute commissis affert. Alias dubitat, an elicuerit verum dolorem etc.

130. *Q.* Quomodo scrupulosus circa confessiones praeteritas dirigendus sit? R. Cum *Bardi* discept. 7. c. 6. §. 1. *Laym.*, *Sa* V. Confessio, *La Croix* L. 1. n. 541., *Lessio* de act. hum. q. 19. n. 80. Scrupulosus non tenetur repetere quidquam in confessione, nisi certus sit, et ausit jurare, quod hoc vel illud peccatum grave nunquam vel non bene fuerit confessus: quamdiu autem dubitat, certus non est: ergo non tenetur repetere. 2. Si diu vixerit in consuetudine peccandi, vel certo sciat defectum doloris aut examinis, Confessarius permittat confessionem generalem, et juvet in examine; postea nunquam permittat id fieri: alias fons scrupulorum non exhaurietur. Si incidat postea unum alterumve peccatum certum, id solum exponatur absque nova confessione generali. Idem observandum in dubio scrupulosi de dolore.

CASUS II.

Afra scrupulosa, quoties suggestionem pravam in se advertit de fide, materia turpi, blasphemiis, judicio temerario etc., timet continuo, an non praebuerit consensum.

131. *Q.* Quaenam regulae sint pro ejusmodi scrupulosis? R. Nunquam credant, se mortaliter peccasse, nisi certo sciant, imo jurare audeant, se plene advertisse malitiam gravem, et in eam consensisse. *La Croix* l. c. n. 546. cum pluribus. Valet haec regula maxime in iis, qui serium animum, et saepe repetitum propositum habent, nunquam peccandi mortaliter; quae enim ordinarie odio habentur, si postea vel semel amentur, hoc facile advertitur. 2. Si quis ut primum advertit malitiam, continuo tentationi resistat, et doleat; quia si consentiendo se plene a Deo avertisset, non tam facile et cito iterum se converteret ad Deum, ob summam malitiam peccati mortalis. Moneat praeterea Confessarius scrupulosos ejusmodi, quod non teneantur hisce tentationibus per actus contrarios positive resistere, sed quod sufficiat cum contemptu illas rejicere, vel animum ad alia objecta vertere.

CASUS III.

Archelaus scrupulosorum primipilus Confessario recte suadenti continuo oggerit: Pater! me non nosti, qualis sim: habes me pro scrupuloso, qualis non sum, me non audis etc. item non auderem coram Deo Judice comparere, si ita sentirem etc. scio sententiam S. Gregorii: Bonarum, ait, mentium est, ibi culpas agnoscere, ubi culpa non est.

132. *Q.* Quid agendum cum tali archiscrupuloso? Respondet *La Croix* L. 1. n. 560. Ad satisfaciendum phantasiae, Confessarius aliquoties illum patienter audiat; tum animose admoneat, ut credat, quod omnia rite intellexerit. Si non acquiescat, permittat ad tempus agere quod vult, donec pertinacem et stultam superbiam discat frangere. Discet autem, quia sibi relictus quotidie magis magisque se sentiet implicari et torqueri. Si nullum remedium prosit, inter amentes curae medicorum brevi tradendus est. Regula praecipua hic esto prudentia insignis Confessarii.

Ad secundum respondet *Laym.* cum *Sanchez*, etiam in articulo mortis consultius scrupulosis fore, ut scrupulos contemnant. Saepe quidem ejusmodi hominibus ante obitum a Deo conceditur una alterave hora tranquillior, qua incipiunt errores praeteritos agnoscere, detestari pertinacem superbiam, et sero tandem sapere; non raro tamen ex justo Dei judicio absque signo resipiscentiae ex hac vita decedunt. Praestat igitur mature sapere, quam sero aut forte nunquam.

Respondet secundo *Laym.* cum *Sylvest.* V. *Scrupulosus*, q. 3. *In illo articulo multa faceret homo quae tamen necesse non est, nec expedit facere in vita: quia homo tandem desperaret vel fatuus fieret.* Denique *S. Gregorius* nomen culpae latius ibi accipit pro quovis defectu, quem in se bona mens agnoscit et bene ordinato affectu deplorat, sed sine turbatione inquieta.

De reliquis scrupulis circa recitationem Breviarii, distractiones, item circa consecrationis formam etc. infra, quando de his specialiter agemus.

Pro coronide Tractatui primo de Conscientia annectimus regulam *s. Bonav.*, qui in Compendio Theol. L. 2. c. 5. ait: *Cavenda est conscientia nimis larga et nimis stricta; nam prima generat praesumptionem, secunda desperationem.*

„Denique ut natura, gravitas et medicina morbi uno obtutu noscatur, „Dico: Scrupulus est inanis apprehensio peccati, nulli judicio prudenti „innixa. Assero, quod qui per habitum solet his apprehensionibus cedere, „versatur in statu, vel saltem in periculo proximo perpetui peccati mor„talis, tum omissionum per taedium et acediam, tum commissionum per „impatientiam violentiae quam patitur, et ineptitudinem ad labores officii, „quo fungitur. Moneo, quod tam gravi malo remedium aptius non repe„riatur quam caeca obedientia, per quam scrupulosus in omni dubio sic „juvatur, ut certus sit se errare (nisi forte materialiter) non posse. Addo, „scrupulosum ad hanc obedientiam teneri sub peccato mortali, eo quod „perturbationes, quibus obnoxius est, constituant ipsum in statu peccati

„gravis, nisi omnino jam de statu mentis aut liberi arbitrii dejecerint. Deni-„que declaro, si adhuc liber sit, actus obedientiae, ad quos obligatur, esse „tres. Primus est circa tempus praeteritum. Nisi jurare possis, quod certum „peccatum grave nunquam rite confessus fueris, suppone quod sis con-„fessus, aut crede te non teneri. Prudens suppositio est et prudens opinio, „quoniam pro homine timorato (de quali loquimur) stat praesumptio, fe-„cisse quod tenebatur et recte fecisse. Alter circa tempus praesens: nisi „jurare possis, quod in peccatum grave, tempore tentationis, aut in omis-„sionem necessariae intentionis aut attentionis inter labores officii con-„senseris plene sciens ac volens; judica quod sis insons a culpa et liber „ab onere repetendi. Securum judicium est, quippe prudenti consilio in-„nixum, quia ratio te condemnandi non est, nisi per reflexionem de ad-„vertentia et consensu pleno convincaris. Ultimus circa tempus futurum „versatur: nisi jurare possis, quod in officio vel actione suscipienda a te, „immineat respectu tui periculum proximum non solum sensus, sed etiam „consensus graviter peccaminosi, audacter agere semper licet, saepe te-„neris. Certa sententia est, quia nulla lex prohibet. Ita paulatim inanis „apprehensio peccati imaginarii corrigitur per judicium de peccato ino-„bedientiae, et metus mali minoris, quale est actus peccati, vincitur per „metum mali majoris, quale est status peccati, in quo scrupulosum contu-„max rejectio medicinae morbo suo unice necessariae evidenter constituit."

TRACTATUS II.

DE LEGIBUS AC PECCATIS IN GENERE.

CAPUT I. *De externa regula actuum humanorum sive de Lege, praecipue de materia et forma Legis.*

§. I. *Quid et quotuplex sit Lex ac Praeceptum in genere: item quae conditiones ad veram Legem requirantur.*

133. *Q.* I. Quid sit lex? R. 1. Lex ac praeceptum, prout hic indistincte accipitur, est *recta agendorum aut omittendorum ratio.* Strictius *juxta S. Thom.* 1. 2. q. 96. ab a. 1. usque ad quintum: est *ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata, cum voluntate eam perpetuo obligandi.* Differt a praecepto, 1. quod lex sit quid stabile, cum feratur communitati, quae de se stabilis est; 2. quod feratur in bonum publicum. Praeceptum vero stricte non fertur communitati, sed uni tantum, vel paucis ad bonum privatum, nec de se est quid stabile. Juxta *Reiffenstuel* T. 2. Theol. Mor. de LL. dist. 1. q. 2. n. 18. praeceptum simplex immediate fertur in personas singulares, earumque ossibus adhaeret, vi cujus obligantur subditi, ubicumque existant; talis enim Superior ita praecipiens habet jurisdictionem in subditos, non ratione loci, sed per se ac ratione personae.

134. *Q.* II. Quotuplex sit lex sive praeceptum? R. I. Alia est naturalis, alia positiva. Lex naturalis sive jus naturae *improprie* sumitur pro quavis inclinatione naturali, *metaphorice* pro instinctu naturae, *minus stricte* pro potestate aliquid agendi vel omittendi ex concessione naturae; *proprie* pro lege sive regula actionum humanarum, quae inest menti ad discernendum honestum a turpi; sic recte definitur: *Ordinatio divinae Sapientiae, per dictamen syntereseos naturae rationali manifestata, praecipiens rectae rationi consentanea, et prohibens dissentanea, vel etiam per-*

mittens indifferentia. Dicitur melius *Ordinatio divinae Sapientiae*, quam dictamen rationis ab auctore naturae inditum, circa ea, quae homini tanquam honesta agenda, vel tanquam inhonesta omittenda sunt, ut vult *Grotius:* quia dictamen est potius applicatio sive promulgatio legis naturae, non ipsa lex, quae debet esse actus Superioris. Deinde hoc dictamen est defectibile, sicut ipsa natura, lex autem naturalis debet esse indefectibilis. Denique melius statuitur in ordinatione divinae Sapientiae, quam in ipsa natura rationali, ut vult *Vasquesius:* quia natura in se nec praecipit, nec dirigit; praeterea licet natura rationalis sit radix honestatis, non tamen ideo est lex.

Objectum materiale legis naturalis in genere est omne, quod convenit naturae rationali, ut praecipiatur, et omne quod eidem disconvenit, adeoque ut prohibeatur ab auctore naturae. Hinc lex naturalis versatur 1. circa principia morum prima generalia, ac per se nota, qualia sunt: *bonum est faciendum, malum vitandum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* item circa magis particularia, nota tamen per se: v. g. *Justitia est servanda: Deus colendus: temperate vivendum* etc.: ad haec enim natura rationalis immediate inclinat. 2. Versatur circa principia alia ex his primariis vel immediate vel mediate deducta, quae fundant honestatem moribus necessariam, qualia sunt omnia in Decalogo contenta.

Objectum formale juris naturae consistit in conformitate principiorum cum lege Dei, per quam naturae congrua fiunt formaliter honesta, et dissona fiunt formaliter dissona. Vide P. *Ignat. Schwarz.* S. J. de lege naturali, juxta quem principii fundamentalis juris naturae conceptus videtur ita enunciandus esse: *Fac ea, quae ex amore Deo, tibi, et proximo naturaliter debito*, h. e. *ad felicitatem naturae rationali propriam, necessario vel facienda vel omittenda sunt.* Per amorem hic non intelligitur sensualis, sed rationalis, qui juxta s. Aug. L. de amicit. est *rationalis animae affectus,* quo quis sibi vel alteri bonum *cum desiderio* quaerit, adepto fruitur *cum suavitate*, et *cum gaudio* conservat.

Ex quo conceptu infertur 1. quoad *praecepta negativa gravia:* id omne et solum est jure naturae graviter prohibitum, quod repugnat amori Deo, vel tibi, vel proximo naturaliter debito, quia ad felicitatem naturae rationali propriam *simpliciter necessario,* cujusmodi sunt respectu Dei *Idolomania, blasphemia* etc., respectu sui ipsius *mutilatio propria, mollities;* respectu proximi *furtum, adulterium.*

2. Quoad *praecepta negativa levia:* id omne et solum est jure naturae leviter prohibitum, quod, absolute loquendo, repugnat quidem amori cuivis naturaliter debito, ad felicitatem tamen naturae rationali propriam minus stricte necessario: cujusmodi sunt mendacium, detractio, furtum in re leviori: haec enim repugnant quidem amori proximo naturaliter debito, suntque contraria paci cum proximo conservandae, in qua sita est partialis nostra felicitas, non tamen *simpliciter* sunt eversiva conjunctionis mutuae; hinc etiam minus stricte sunt necessaria ad felicitatem naturae rationali propriam. Hoc modo facile intelligitur, cur alii dicant, supradicta esse intrinsece mala; item cur exigant prohiberi a Deo.

3. Quoad *praecepta naturae positiva graviter obligantia:* id omne et solum est jure naturae graviter praeceptum, quod exigitur ut conforme amori, ad felicitatem naturae rationali propriam, cuicumque naturaliter debito et absolute necessario: hujusmodi respectu Dei est religio sive cultus Dei in genere, respectu sui ipsius refraenatio inordinatorum affectuum, respectu proximi exhibitio officii tam in procurando bono, quam in avertendo malo praestandi, *si sit extrema vel absolute gravis necessitas,* idque